

BERNARDUS ZAMAGNA S. J.

A D

RAYMUNDUM CUNICHUM.



ELEGIA.

Vocalem aonio celebratam carmine nympham
 Quae prius (*a*) arbitrio supposuere tuo,
 En aliud, Raymunde, ferunt opus ex Helicone
 Adcitae nostro nomine Pierides
 Indictumque novumque. nova ac indicta placere
 Quippe puto vacuas missa per auriculas,
 Praesertim si naturae e penetralibus ipsis
 Eruta Apollinea luce nitere queant,
 Musaei ac veluti mellis contacta liquore
 Lectorum captos blanda tenere animos,
 Patritium in primis, qui me complexus amore
 Meque

(*a*) Eidem namque & aliam scripsit auctor elegiam,
 quae in illo extat libello, cui *Echo* nomen. Una au-
 tem *Selecta e graecis carmina elegantissime* ab eodem
 Raymundo latine versa habentur.